



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis

Marca, Pierre de

Parisiis, 1681


Præfatio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14704



STEPHANI BALVZII
TVTELENSIS

PRÆFATIO AD LECTOREM.

I.  PVS CVLA isthæc illustris-
fimi ac celeberrimi viri
Petri de Marca Archiepis-
copi Parisiensis, quæ nunc tibi da-
mus, lector, aliquam multos per an-
nos latuerunt inter schedas nostras,
non quòd ea cum ordine literatorum
communicare nollemus, sed quia
aliæ editiones istam aliquantisper, ut
solet, retardarunt. Nunc ergo tan-
dem prodeunt, & quidem bonis aus-
piciis. Operæ autem pretium est in
his recensendis immorari, ut osten-
damus in primis quibus illa tempo-

PRÆFATIO.

ribus scripta sint. Sunt enim nonnulla in his opusculis quæ hanc curam & hanc diligentiam exoptulare videntur.

I I. Opusculum igitur primum, in quo tractatur de stemmate sive de genealogia Domini nostri Iesu Christi, scriptum fuit Barcinone anno MDCXLIX. Kalendis Ianuariis; secundum verò, in quo agitur de adventu Magorum ad Christum, Lutetiæ Parisiorum anno MDCLIV. VII. Idus Ianuarias. Adnotavit autem auctor in margine extemporaneam fuisse scriptionem.

III. Tertium quod heic sequitur opusculum, *De singulari primatu Petri*, scriptum est occasione gravissimæ quæstionis de duplici capite in Ecclesia, quæ anno MDCXLVII. mota est in Gallia, plerisque unicum tantum caput, videlicet beatum Petrum, in ea constituentibus, quibusdam verò censentibus Paulum

P R Æ F A T I O.

quoque Ecclesiæ caput cum Petro fuisse. Cùm hæc quæstio distraheret in partes ingenia hominum eruditorum, Innocentius Papa X. à Marca impetravit exercitationem illam *De singulari primatu Petri*, quam is scripsit Barcinone V. Kalendas Iunias ejusdem anni. Ea porrò sic placuit Innocentio ut eam publicè legi jufferit, atque hinc singularem quandam de Marcæ in sedem Romanam propensione acceperit opinionem.

IV. Dissertationem de discrimine clericorum & laicorum ex jure divino & de forma regiminis à Christo instituta in Ecclesia statim posui post exercitationem de singulari primatu Petri, non quòd eodem cum illa tempore scripta sit, cùm confectam constet post reditum auctoris ab Hispania citeriore & ante annum MDCLVI. quo ego in domum ejus admissus sum, sed quia ejusdem ferme argumenti est. Porrò illi Marca non im-

PRÆFATIO.

posuerat ultimam manum , & plura adhuc supererant dicenda quæ reliquit intacta.

V. Sequitur dissertatio de synodo Sirmiensi plenaria & de Valentis & Vrsacii venia , quam is Barcinone elucubravit anno MDCLII. occasione controversiæ quæ de ea re tum fuit inter duos magnos viros , Iacobum Sirmondum dico & Dionysium Petavium Societatis Iesu duo clarissima lumina. Et Petavii quidem dissertatio edita jampridem fuerat. Verùm quia vis argumentationum illustrissimi Archiepiscopi non satis bene intelligi potest nisi quis statim ad manum habeat ea quæ de hac causa scripta sunt à Sirmondo & Petavio , istius quidem dissertationem visum est recudi debere in calce hujus voluminis , Sirmondi verò diatribas duas , quæ nondum editæ sunt, cum illa conjungere. Harum priorem descripsimus ex autographo Sir-

P R Æ F A T I O.

mondi, quod habuimus à viro clarif-
simo Ioanne Garnerio; posteriorem
nobis exhibuerunt schedæ humanif-
simi ac erudissimi viri Emerici Bigo-
tii. Porrò illum fructum ex editione
illarum diatribarum percipiet erudi-
tus lector quòd facile deinceps ju-
dicare poterit jure an injuria vir cla-
rissimus Henricus Valefius pro Peta-
vio adversùs Sirmondum pronuntia-
verit. Agens enim de ista controver-
sia in annotationibus ad historiam
ecclesiasticam Socratis lib. II. cap.
XXIX. ait: *Scio Jacobum Sirmondum
duos libellos scripsisse quibus Baronii sen-
tentiam adversùs Dionysium Petavium
asserere conatus est. Sed cùm ipse eos li-
bellos non ediderit, satis ostendit se falsi-
tatem opinionis suæ tandem agnovisse.*

VI. Ceterùm antequam ab hoc
argumento discedam, non inutile
erit admonere Marcam, quum in ea
dissertatione refert aliquam rem ex
operibus sancti Athanasii Episcopi

PRÆFATIO.

Alexandrini, usum fuisse editionem Commeliniana, tamenetsi nos in margine adnotaverimus paginas juxta editionem Parisiensem anni MDCXXVII. Sed in primis hæc observatio necessaria est in paragrapho XVIII. pag. 176. ubi Marca adnotat Photinum Episcopum Sirmiensem ambigè perstringi sub nomine Scotini in confessione synodi Antiochenæ quam refert Athanasius. Nam in editione Commeliniana to. I. pag. 691. ita omnino scriptum est & in Græco contextu & in interpretatione Latina. At qui Parisiensem editionem adornarunt, putantes heic erratum à librario esse, quia videbant apud Socratem lib. II. cap. XIX. *Φωτεινός* legi, non *Σκοτεινός*, Scotini vocabulum ab eo loco sustulerunt, & Photini nomen pag. 898. reposuerunt. Et tamen, uti etiam observatum à Sirmondo est, legere poterant apud Luciferum Callaritanum in libro *De non parcendo*

PRÆFATIO.

delinquentibus in Deum pag. 291. *Photinus Sirmiensium*, qui verè dicitur *Scotinus*. Et pag. 265. *Quid interesse arbitraris inter te & Paulum Samosatenum vel eum tum ejus discipulum tuum conscotinum?* Gaudet enim Lucifer istiusmodi compositione verborum. Hæc porrò ostendunt quàm periculosum sit aliquid mutare in lucubrationibus veterum absque certa ratione aut auctoritate.

VII. Diatribam de synodica epistola synodi Illyricianæ Marca Tolosæ scripsit anno MDCLV. die XXVIII. Junii. Disputandi occasionem dedit vox ἑρισκότων repetita in quodam loco illius epistolæ, quæ virorum doctissimorum ingenia diù torfit. Eam Sirmondus expunxit in sua Theodreti operum editione. Sirmondum acriter reprehendit Henricus Valeſius in annotationibus ad Theodoretum; & dein suam loci istius explanationem affert, novam sanè, sed

P R Æ F A T I O.

minimè veram. Quare doctissimus amicus noster Ioannes Baptista Cotelerius non dubitavit asserere, etiam post illam Valesii annotationem, non videre se quinam possit esse loci difficillimi sensus, nisi expungatur vox illa ἑρσιονόπων secundo loco posita. Quæ est sententia etiam illustrissimi Archiepiscopi. Fatendum tamen est, ut Marca adnotat, vetus esse mendum, quod & veteres ferme libri habent & veteres editiones. Sanè præter codices regios quibus usus est Robertus Stephanus, extat etiam in vetustissimo exemplari Græco bibliothecæ Colbertinæ.

VIII. Quo tempore scripta fuerit explicatio canonis quinti primæ synodi Constantinopolitanæ, in quo agitur de tomo occidentalium, sanè compertum non habeo. Illud tantùm scio, elaboratam antequam proficisceretur in Hispaniam Tarracensem. Ejus aliquam partem exhibuit

PRÆFATIO.

buit auctor in capite quarto libri primi de concordia sacerdotii & imperii. Nos verò de eo quoque argumento nonnulla dicemus in tomo primo novæ nostræ collectionis Conciliorum.

IX. Dissertationem de veteribus canonum collectionibus elaboravit quum in Hispania Tarraconensi gereret munus Visitatoris generalis. Quare mirum non est si in penuria librorum qua illic laborabat, coactus est uti editione Pithœana breviationis canonum Ferrandi Diaconi, cum non haberet eas quæ ab Alferra & Chiffletio datæ sunt emendatiores. Hæc porrò dissertatio, quamvis satis longa sit, non est integra, cum de Conciliis tantum Africanis in ea ferme agatur. Unde ipse in epistola ad clarissimum virum Petrum Possinum ita scribebat anno MDCLX. III. Kal. Ianuarias: *Absolvere institui dissertationes meas de veteribus canonum*

PRÆFATIO.

collectionibus , opus hætenus intentatum nostris ingeniis , atque etiam exteris.

X. Occasio postulat ut quoniam vir illustrissimus in capite primo istius dissertationis pag. 203. & 204. mentionem fecit vetustissimæ collectionis quæ fuit doctissimi viri Christophori Iustelli , in qua canones Sardicenses sequebantur numeris consequentibus post Nicænos , cùm ea collectio edita sit anni sunt omnino viginti , historiam illius editionis aperiam ; quæ neque à quopiam hætenus tradita est , neque ab ullo alio quàm à me scribi verè potest.

XI. Cùm viri clarissimi Gulielmus Voellus & Henricus Iustellus Christophori filius , prior Theologus Parisiensis , alter Calviniani dogmatis sectator , constituissent in unum corpus colligere varios codices canonum ecclesiasticorum olim à Christophoro editorum , & illis addere etiam aliquos nondum editos , in pri-

PRÆFATIO.

mis verò quandam collectionem Latinam quam habebant in vetustissimo codice MS. Christophori Iustelli, & Marca tum Tolosæ habitans intellexisset eam editionem maturari, ratus id quod res erat, suppressum fortassis iri canones Sardicenses, (quos, cum statim sequerentur post Nicænos, Christophorus, adhuc iuventa calidus, cultro refecerat & ad calcem libri rejecerat) ea de re scripsit ad virum superillustrem Petrum Seguierium Galliarum Cancellarium; orans eum uti publicatione horum librorum supersederetur donec ipse Lutetiæ esset. Eò cum Marca pervenisset i x. Kal. Octobris anni MDCLX. ac typographus urgeret emissionem operis jam perfecti, Voellus & Iustellus non aliter id à Cancellario obtinere potuerunt quàm si Marcæ rationem redderent operæ suæ. Igitur non ita multò post ad eum venerunt, & cum illis, qui nu-

P R Æ F A T I O.

per mortuus est, Ludovicus Henricus Fayus Espeffæus Abbas sancti Petri Viennensis, in cujus ædibus habitabat Voellus. Primò res acta est magna contentione, Voello & Iustello freudentibus & contendentibus duo vetera folia membranacea quæ ad calcem codicis rejecta erant, in quibus continebantur aliqua fragmenta canonum Sardicensium, non pertinere ad hunc codicem; præsertim cum folia quinque defieri manifestum esset post canones Nicænos, & illic duo tantum reperirentur. Sedata tandem illa perturbatione, cum constitisset hæc duo folia ejusdem magnitudinis esse cum ceteris, ejusdem antiquitatis, ejusdem marginis, ejusdem scripturæ, ac numeratis & collatis cum editione Biniana anni MDCXVIII. lineis &, ut ita dicam, vocabulis quibus opus erat ad supplenda hæc quinque folia quæ de-
erant ex subscriptionibus synodi Ni-

PRÆFATIO.

cænæ & ex canonibus Sardicenfibus, luce clariùs patuiffet duo illa folia reliqua ex quinque recifis reponi debere confequenter poft Concilium Nicænum, præfertim cùm Marca fidem faceret ita fibi olim dictum à Christophoro, qui faffus fuerat fe adhuc juvenem illa refecuiiffe impetu potiùs quàm ratione, inter eos convenit ut hæc fragmenta ederentur & ut fequens præfatio, quam Marca fua manu fcripfit, in fronte voluminis poneretur.

Monendus eft lector amanuenfis oſcitantia, ex cujus apographo ad fidem MS. codicis expreffo editio iſthac confecta eſt, accidiffe ut canones Sardicenfis Concilii ſuo loco, id eſt, poſt canones Nicenos, poſiti non fuerint. Quod editoribus curam impoſuit, recensendæ editioni & iterum cum manuſcripto conferendæ attentis, ut omiſſionem illam reſtituerent, adjectis hic in fronte collectionis canonibus Sardicenfibus qui ſuperſunt in eo codice; ubi poſt

PRÆFATIO.

Subscriptiones Nicæni Concilii, & ante canones Gangrensis, folia quædam desunt, quæ vetustate perierunt; duo tamen supersunt, incipiuntque à canone Sardicensi XIV. unâ cum sequentibus usque ad XIX. quos bona fide hic representare editores voluerunt.

XII. Aliter tamen evenit. Nam cum evasissent ex ea tempestate, aliam viam, Marca inscio, inierunt componendæ hujus controversiæ, & fragmenta illa canonum Sardicensium reposuerunt post Nicænos, addita præfatione qua testarentur id seratione potius fecisse quàm ullo indicio aut necessitate ex veteri libro petita. Monuerunt ergo maximam partem canonum Sardicensium cum postrema parte subscriptionum Concilii Nicæni injuria temporum periisse. Mox addunt: *Quæ tamen supersunt Concilii Sardicensis fragmenta, post Nicenam synodum collocavimus. Auctorem namque hujusce editionis non digni-*

PRÆFATIO.

tatem Conciliorum sed ordinem temporis sequutum fuisse in sua collectione vero simile est. Rem totam referunt ad veri similitudinem, cum tamen eis & dictum & ostensum sit ea folia in quibus postrema pars subscriptionum Concilii Nicæni & nonnulli canones Sardicenses continebantur, posita olim fuisse post synodum Nicænam in codice M S. indeque avulsa à Christophoro adhuc juvene, ne catholici ex eo libro vetustissimo præscriberent adversus hæreticos prodignitate & auctoritate horum canonum. Dicere debuerant, juxta pacta & conventa, canones illos locis suis prætermittos fuisse & nunc reponi.

XIII. Ne quis verò putare possit me totam hanc historiam gratis comminisci & nullum illius vestigium extare, primùm scire omnes volo me huic omni concertationi & examini interfuisse, penes me habere præfatiunculam suprâ descriptam, & Mar-

PRÆFATIO.

cam istius rei mentionem fecisse in literis quas tum per aliam occasionem dedit ad Alexandrum Papam VII. & ad Lucam Holstenium. Describam autem ejus verba ex ea quæ est ad Alexandrum. *Iustellus pater, Calvinianæ quoque hæreseos sectator, codicem canonum Ecclesiæ universæ olim publicaverat, omisis de industria Sardicensis Concilii canonibus Romani Pontificis potestatem disertè asserentibus, ac si iudicio Ecclesiæ universæ à corpore canonum rescissi essent. Eadem fraude filius canonum collectionem Latinam è codice vetustissimo his nongentis annis non scripto ante meum in hanc Parisiorum civitatem adventum prelo submiserat. Statim comperto ab ea abesse Sardicenses canones, quos sciebam à Iustello patre ex ipso codice resectos quidem, sed ad ejusdem voluminis calcem folia rejecta, non destitit quoad tam regie potestatis comminationibus quàm humanissimis precibus post canones Nicenos juxta fidem manuscripti*

PRÆFATIO.

*codicis Sardicensibus in editione locus suus restitueretur, ne hac diligentia prætermis-
sa, triumpharent hæretici Spretam, non
solum à Græcis, sed etiam à Latinis, &
præcipuè ab Ecclesia Gallicana, canonum
illorum auctoritatem.*

XIV. In capite tertio istius disser-
tationis §. XIII. pag. 219. Marca agit
de collectione canonum adornata à
Theodoreto Episcopo Cyrensi, de qua
jam disseruerat in libro tertio de con-
cordia, conatus etiam eorum objec-
tionibus respondere qui illam Theo-
doreto abjudicant. Non caret enim
res ista difficultate; ut patet ex his
quæ Christophorus Iustellus præfatur
in eam collectionem, cujus aucto-
rem esse contendit Ioannem schola-
sticum.

XV. Capite VI. §. III. citat vete-
rem codicem doctissimi viri Nicolai
Fabri ex fide ejusdem Iustelli, qui
non admonuit ubinam extaret liber
ille. Utar autem hac occasione ut

PRÆFATIO.

nonnulla dicam haud satis vulgò comperta de magno illo viro ; qui & frater fuit Guidonis Fabricii Boderiani viri item doctissimi , & Consiliarius regius in curia quam vocant aquarum & silvarum , postremò Ludovici XIII. Francorum Regis præceptor. Satis constat hominem fuisse doctissimum & beneficentissimum , ut etiam ex multis illustrissimi Cardinalis Baronii testimoniis patet. Collegerat ergo ille in suum usum multos antiquissimos codices manuscripos , eosque , quod præcipuum est , evolverat , legerat , manu sua in eis observationes suas scripserat. Hi codices , qui & optimi sunt & antiquissimi , nunc habentur in locupletissima bibliotheca Colbertina , & inter hos etiam ille quem ex fide Iustelli Marca citat , qui fuerat antea doctissimi item viri Claudii Fauchetii. Porro , præter illum Fabri codicem , alius quoque admodum vetus , qui olim

P R Æ F A T I O.

celeberrimi viri Petri Pithœi fuit, ex-
tat in eadem bibliotheca Colbertina,
in quo canon ille Africanus iisdem
omnino verbis habetur quo editus
est ex libro Fabri.

XVI. Dissertationem seu potiùs
interpretationem cap. *Clericus*. 3. 9. 4.
olim edidi cum dialogis Antonii Au-
gustini de emendatione Gratiani, in
loco sanè non peregrino. At nunc
visum est eam conjungere cum ce-
teris illustrissimi Archiepiscopi opus-
culis, ne lector eam quærere extra
cogatur. Scripta autem fuit in mo-
nasterio Murtenfi prope Barcinonem
anno MDCL. die XI. Maii.

XVII. Dissertatio de patria Vi-
gilantii, cujus nomini celebritatem
æternitatemque dedit Hieronymi in
eum excandescencia, scripta item
fuit in Hispania Tarraconensi, ut
omnia ferme isthæc opuscula. Ce-
terùm de tempore quo scripta fuit
non mihi constat. Sanè ante men-

P R Æ F A T I O.

fem Iulium anni M D C L I. oportet fuisse compositam , cùm Marcum ex Hispania reversus fit in Galliam.

XVIII. Dissertationem de origine & progressu cultus beatæ Mariæ virginis in Monteferrato exhibiti elucubravit anno M D C L I. die decima Aprilis, postridie Paschæ. Postquàm illa heic suo loco edita fuit, accepi ab excellentissimo doctissimoque viro Gaspare de Mendoza Marchione de Mondexar & Comite de Tendilla eam non ita pridem à Stephano Corbera editam Barcinone fuisse ad calcem Catalonia illustratæ. Sanè varia illius exemplaria extabant apud homines Hispanos. Nam primò Marcum unum reliquerat in Monteferrato anno M D C L I. quod cùm deperditum fuisset, aliud postea misit ad Franciscum Crespum Abbatem Bagiarum, uti dictum est à nobis in libro de vita eius. Tertium quoque exemplar mi-

PRÆFATIO.

sic ad illustrissimum doctissimumque virum Petrum Valerum Diazium I. C. Hispanum, qui nunc rationum regni Neapolitani Præses est & Visitator generalis in regno Siciliae.

XIX. Quo tempore scriptæ sint dissertationes de origine monasterii Scalæ - Dei & de theca reliquiarum sancti Ioannis Baptistæ, adnotatum est in earum calce. Unum heic monendum, Antonium Archiepiscopum Atheniensem & Iacobum Patriarcham Constantinopolitanum, quos Marca rectè arbitratus est fuisse Episcopos Latini ritus, verè Latinos fuisse, & curiam pontificiam Avenionensem secutos. Nam quod ad Antonium attinet, ei cognomen Balistario fuit, & ex religioso ordinis sancti Francisci factus est Archiepiscopus Athenarum anno MCCCLXX. vi. Kalendas Aprilis, ut docet Waddingus. Iacobus verò Patriarcha CP. eodem ferme tempore evasit; vo-

PRÆFATIO.

cabaturque Iacobus de Ithro, natione Gallus, qui postea Hydruntinus Archiepiscopus factus est à Gregorio XI. anno sexto sui pontificatus. Hunc Clemens VII. Cardinalem creavit anno MCCCLXXVIII. die XVIII. mensis Decembris.

XX. Oratio Marcæ habita Barcinone, quæ præcedere debuerat fragmenta, nescio quomodo factum est ut post illa poneretur. Erat ille vir, quod omnes norunt, & in rebus literariis summus & in politicis. Itaque cum anno MDCXLIV. advenisset Barcinonem supremo illic magistratu functurus, & agnovisset Hispanos artibus suis conari illudere populo per eos qui & confessiones eorum audiebant & publicè proponebant verbum Dei, præcipue verò per religiosæ quam vocant vitæ professores, eoque jam ventum esse ut & Provinciales eorum vetarent ne quis de rebus publicis loqueretur

PRÆFATIO.

in sermonibus ad populum, & epistolam recentem à Roma missam esse ad Collectorem apostolicum illarum partium, in qua, inter cetera, redarguebantur duo concionatores qui palam favere visi erant rebus Gallicis, hæc inquam omnia quum Marca cognovisset, orationem illam in suis ædibus habuit ad Provinciales & alios Superiores ordinum religiosorum illius urbis. Scripsit ille die vigesima mensis Julii, quo habita est oratio, ad virum superillustrem Michaëlem Tellierium, qui nunc merito suo summus Galliarum Cancellarius est, eam monitionem summo applausu exceptam fuisse à religiosis illis, ac plures eorum protestatos esse in meliori tunc statu futuras fuisse res provinciæ publicas si ista ante biennium præcepta fuissent quæ tum Marca ab illis exigebat.

XXI. Ista nos aut similia olim scripsimus ad Agobardum; eodem-

PRÆFATIO.

que tempore monuimus hunc semper usum in Ecclesia retentum ut pro Principe oraretur inter mysteria, e jusque inter ea nomen recitaretur. Quod adeo certum est ac constans ut valde mirer hominem plurimæ lectionis Christianum Lupum eò usque progredi ausum esse in tomo quarto suorum scholiorum ad Concilia pag. 425. ut id falsum esse contenderet quod ego de ea re scripsi; cùm si quis verba mea sincerè expendat, & ea componat cum locis veterum à Lupo adductis, facilè agnoscat me nihil falsè locutum esse & Lupum suis se armis jugulare, ceu sumus ostensuri in secunda editione operum Agobardicorum. Porrò quia monueram quendam Fr. Petrum Moliner puerilem admodum declamatiunculam eodem anno Tarracone edidisse adversùs illam Marcæ orationem, & res ista non nihil adversùm me commovit animum religiosissimi viri, prima fronte constitueram

PRÆFATIO.

te constitueram edere hanc declamatiunculam in calce istorum opusculorum, ut hinc quivis colligere posset falsone an verè id à me dictum esset. Verùm quia illa mihi admodum inepta visa est & absurda, quippe quæ multum loquentiæ, ut ait ille, sed parum aut potiùs nihil eloquentiæ aut boni saporis habeat, abrumpi consilium meum, ut vitarem justam eruditorum ac sapientum hominum reprehensionem.

XXII. Fragmenta nos collegimus, & edidimus, ne perirent. Primum, quod inscriptum est *Adversus satyras*, debemus otio quo Marca fruebatur quum Regem, quem jussus fuerat Lugdunum assequi, expectabat in ea civitate anno MDCLVIII. mense Novembri. Nam satyras adversum se annis MDCLVI. & LVII. scriptas, quæ quidem erant acerbissimæ ac vehementissimæ, hæctenus contempserat, gnarus viros graves &

PRÆFATIO.

serios hæc spernere quum eduntur & posteritatem nihili facere maledicentias quæ proferuntur adversus magnos viros. Tum verò, quum nihil haberet quod ageret, hanc responsionem inchoavit: quæ remansit imperfecta, quia eodem die Rex Lugdunum advenit quo ista scribebantur, & statim Marca revocatus est ad tractationem graviorum negotiorum.

XXIII. Quoniam verò res in libellis illis tractata magnam tunc contentionem excitavit, præcipuè ob quorundam invidiam, qui ægrè ferebant Marcam supra ceteros eminere in celebri illo Episcoporum Gallicanorum conventu qui anno MDCLVI. Parisiis habebatur, & propterea has tragœdias adversus eum excitarunt, res postulare videtur ut totius istius controversiæ originem aperiam. Sed antea visum est admonere, tantam fuisse optimi viri moderationem, tan-

PRÆFATIO.

tum ac tam singularem amorem erga inimicos, quos probè noverat, quamvis se summa cura occultarent, ut non solùm noluerit eis nocere cùm posset, sed etiam bona pro malis retulerit, & quidem in negotiis maximi momenti. Non nominabo illos, cùm mortui jam sint. Mihi satis est quòd optimi viri benefacta non tacui. Nunc in viam redeo.

XXIV. Anno MDCLV. emerfit heic Lutetiæ libellus Gallicè scriptus cum hoc titulo: *L'Obliigation des fideles de se confesser à leur Curé.* Hic est famosus ille libellus qui tum vocabatur ANONYMVS. Adversùs illum eodem anno scripsit vir optimus & doctissimus Ioannes Bagotius è Societate Iesu, summisque ingenii viribus ostendere conatus est delegatos Romani Pontificis posse confessiones Christianorum audire per universum orbem terrarum, etiam absque consensu parochorum. Hinc or-

P R Æ F A T I O.

tum maximum certamen inter Bagotium & libelli illius defensores; cujus arbitrium delatum est ad Episcopos tum Parisiis congregatos. Agebatur de auctoritate Romani Pontificis; quam ut Bagotius tueretur, adduxit locum quendam Concilii Florentini, professus se sequi interpretationem quam ei Marca adhibuerat in libro de concordia. Tum prodiit alter libellus cum hoc titulo: *Regles tres-importantes tirées de deux passages, l'un du Concile de Florence, & l'autre de Glaber, rapportez par Monseigneur de Marca Archevesque de Toulouse.* Et hæc quidem anno MDCLVI. evenere. Anno postea sequenti tertius libellus exiit ita inscriptus: *Lettre de l'auteur des Regles importantes à Monseigneur de Marca &c.* Adversus hunc tertium libellum præcipuè agit istud primum fragmentum.

XXV. Quo loco observanda est in primis modestia & sanctitas opti-

PRÆFATIO.

mi viri : qui cùm in libro tertio de concordia Abrahamum Cretensem doli mali accusasset propter subdolum, ut ipse tum putabat, interpretationem Decreti unionis Ecclesiarum in Concilio Florentino editi, eam invidiam illi postea detraxit, quia illi certò constitit Abrahamum versionis illius auctorem non esse. Sanè in authentico & originali, ut vocant, illius Decreti, quod extat in bibliotheca Colbertina scriptum in charta Latinè & ex aduerso Græcè, hinc bulla plumbea Papæ appensa, inde chrysobullo Ioannis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani, disertè scriptum est : *quemadmodum etiam in gestis Conciliorum icumenicorum & in sacris canonibus continetur.*

XXVI. Utinam hanc illustrissimi viri modestiam imitari posset aut vellet is qui nuper famam ejus maledicentissima scriptione lacerare conatus est, amicus olim meus, sed nescio

P R Æ F A T I O.

cur nunc factus inimicus, Ioannes Gerbafius Doctor Sorbonicus, & publica retractatione, ut ille fecit erga memoriam Abrahami, deleret convicia quæ in summum virum, alioqui mortuum, absque ulla causa ac necessitate coniecit. Edidit is anno M D C L X X I X. dissertationem de causis majoribus ad caput Concordatorum *De causis*, cui elaborandæ & perpoliendæ insumpsit totos quindecim annos. Et quia Marca in admirabili illo & ab omnibus eruditis laudato opere de concordia sacerdotii & imperii caput illud Concordatorum sic interpretatus est ut fato quodam, sed tamen post totum istud negotium decocto iudicio expensum, inciderit in opinionem cui nunc Gerbafius adversatur, iste non ferendum ratus, primò laudat hominem, sed statim subdolosus laudator, ut de Ruffino aiebat Hieronymus, crudelissimam & superbissimam satyram adversus eum scri-

PRÆFATIO.

bit, non animadvertens diffidentiam
causæ esse personas velle discutere,
ut aiebat Fortunatianus Episcopus
Siccensis in tertia collatione Cartha-
ginensi. Quod adeo verum est ut
Augustinus Hipponensis Episcopus
scribens adversus Petilianum Episco-
pum Constantinensem Donatistam,
qui relicto negotio principali, Augu-
stinum conviciis confectatus erat,
ita eum reprehendat lib. III. cap. I.

*Relicto negotio quodammodo publico, pri-
vata quadam similtate hominis unius vi-
tam maledicis opprobriis insectatus es,
quasi homo sit causa quæ inquiretur. De-
buerat sanè Gerbasius legisse docti
cujusdam Doctoris Parisiensis ac so-
cii sui librum de majoribus itidem
causis : qui in præfatione sua, tam-
quam adversus Gerbasium velut pro-
phético spiritu plenus scriberet, in-
dignatur quòd quidam Petrum de
Marca Archiepiscopum Parisiensem,
virum scientia, virtute, & dignitate*

PRÆFATIO.

ornatissimum, quem in vivis adoraverat, aperto Marte post mortem oppugnare non metuit, verum non sine quadam ignavia suspicione. Imbecilli enim est militis hostem in sepulchro debellare &c. Sanè & divinæ scripturæ & humanæ vetant ne mortuos insectemur.

XXVII. Quamvis igitur amicus ille olim meus virum magnum sic atrociter dilacerasset ut etiam me testem suæ calumniæ, quod est maximum nefas, faceret, dubitavi tamen an mendacia ejus refellerem; certè diù sustinui, experturus videlicet an eum pœniteret istius facinoris. Verum ne ille longiorem dissimulationem pro consensu interpretetur, ut verbo sancti Ambrosii utar, hoc quoque dedi meæ in optimum virum reverentiæ ut quæ, si de mea tantum causa ageretur, refellere nollem, in ejus gratiam ostendam non esse vera & omni ratione carere. Quod ut ordine procedat, apponam primùm

P R Æ F A T I O.

ipsa Gerbasii verba ex articulo III.
§. VI. pag. 60. & 61. licet cum dolore.
Videor enim, ita agens, exprobare illi
flagitium suum adversus memoriam
summi istarum quas nos profitemur
literarum antistitis. Faciam tamen,
quia ipse me coëgit. Fateor igitur,
inquit, adversari mihi hac in parte il-
lustrissimum Marca, vel potius auram
illam qua tum ferebatur cum dissertatio-
nem suam composuit de Episcoporum judi-
ciis ac depositionibus. Nemo enim nescit
(atque ego ita accepi à viro clarissimo Ba-
luzio, qui studiorum ipsius particeps diu
fuit) nemo inquam nescit opus istud ab eo
susceptum esse jussu Eminentissimi Riche-
lii, quo tempore Episcopi Galliarum non-
nulli probatæ minùs fidei erga Regem reg-
numque insimulati sunt. Cùm enim de-
signasset Cardinalis Episcopos illos dejice-
re per commissarios, viamque illam no-
vam insolentemque in Galliis intelligeret,
usus est opera viri percelebris Petri Mar-
cæ: qui quidem ut ingenii erat facilis, nec

PRÆFATIO.

auram gratiosam invitus sequebatur, stilum suum Cardinalis Eminentissimi votis haud agrè accommodavit. Quare mirum nihil est si neglecta antiquitate jus ipse novum excogitaverit, ipsamque Concor-datorum legem, quamquam certè repug-nantem, ad commenti sui probationem vi-sus est adhibere.

XXVIII. Ac ne quis suspicari posset eam satyram illi inconsideratè excidisse, patere omnibus voluit eam se consultò scripsisse. Quare ut mendacia sua iisdem mendaciis confir-met, ista scribit in articulo x. §. II. pag. 251. *Observavi enim jam antea qua occasione scripserat illustrissimus Marca de Episcoporum judiciis, nempe ut morem gereret gratumque simul faceret Gallica-rum rerum moderatori Richelio, qui quos-dam Episcopos quasi majestatis reos tum temporis insequabatur. Mirum itaque nihil est si dissertationem suam in id jus tandem inclina verit quod potentissimo Cardinali accommodatius gratusque futurum intelli-gebat.*

P R Æ F A T I O.

XXIX. Videt clarissimus Gerba-
fius agere me bona fide neque falsi-
quicquam illi adscribere. Itaque non
poterit conqueri aberrasse me à præ-
scriptione rationis, aut illi ea impu-
tasse quæ ipse neque dixerit neque
scripserit, cum sint ipsissima ejus ver-
ba. Nunc ego conqueror de atroci-
tate facinoris, quòd absque ulla ne-
cessitate, absque ullo suo commodo,
absque ratione, virum maximum, in
summa dignitate olim constitutum,
sic *maledicus conviciator*, ut rursus, ver-
ba Augustini usurpem, *non veridicus
disputator* judicaverit ut accusatoris
potiùs partes egerit quàm judicis, non
attendens liberum & immunem esse
debere à culpa qui alium judicat.
Vtinam rectè antea ponderasset hæc
verba magni Apostoli: *Propter quod
inexcusabilis es, ô homo omnis qui judi-
cas. In quo enim judicas alterum, te ip-
sum condemnas. Eadem enim agis quæ
judicas.* Si virtutes suas & animi dotes

PRÆFATIO

comparasset cum virtutibus & dotibus illustrissimi Archiepiscopi, rursum vitia (ut sic dicam propter comparisonem) illius in una libræ lance posuisset, sua verò propria in altera, equidem puto abstenturum illum fuisse ab iniquo iudicio quod protulit adversus memoriam ejus. Præterea cum solus Deus sit scrutator cordium, & ut Augustinus ait contra Cresconium, homo iudex interiorum cordis nostri esse non possit, qua auctoritate sibi hanc licentiam attribuit Gerbasius ut in secreta Marcæ penetrare tentet ultra omnem humani ingenii vim ac facultatem? Eadem auctoritate ego Gerbasium dicere possem esse hominem ingenii facilis, eloquentiæ professorem, ceterum contentionis cupidiorum quàm veritatis, cui præponat ubique commoda rationesque suas, & ut illi sua verba reddamus, auram gratiosam sequi non invitum, adeoque mirum non esse si

P R Æ F A T I O.

delirare in meditationibus suis & declinare interdum videatur à recta via quam sequi semper oportet virum sapientissimum. Si hæc ego dicerem, exclamaret ille, fatis scio: Cur de me ita iudicas? Iniquus es adversum me. Noli me iudicare secundum faciem. Hanc temeritatem nobis interdixit Christus dominus & magister noster; qui cum malediceretur, non remaledicebat. Sed satis querelarum. Lubet enim imitari magnum illum Hipponensem Episcopum Augustinum, qui conviciis & maledictis proscissus à Petiliano, noluit maledicta reponere, sed ad eum ita scripsit in loco supra laudato: *Proinde si & ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quàm duo maledici essemus, ut ij qui nos legerent, alij detestatos abijcerent sana gravitate, alij suaviter haurirent malevola voluntate?* Venio igitur ad rem ipsam.

XXX. Ait ergo vir clarissimus Marcam scripsisse librum septimum

P R Æ F A T I O.

de concordia , in quo agitur de iudiciis canonicis Episcoporum , eo tempore quo Episcopi Galliarum nonnulli probatæ minùs fidei erga Regem regnumque infimulati sunt, quos verò Cardinalis Richelius designaverat deicere per Commissarios. Hoc enim vocabulo utitur, tamentſi ſciat non eſſe Latinum, ut invidiam creet Richelio & Marcæ, quia novit illud odioſum vulgo eſſe. Ut verò vaniſſimæ, quod mox oſtenſurus ſum, fabulæ aliquam auctoritatem addat, me teſtem producit. Duo itaque, & quidem maximi momenti, mihi incumbunt probanda. Primum, verum non eſſe quod ait Gerbaſius, hoc opus à Marca ſuſceptum eſſe eo tempore quo Cardinalis Richelius, quem perſecutorem Episcoporum vocat, quosdam Episcopos majestatis reos in iudicium vocare ſatagebat. Alterum, neque me hujus rei teſtem Gerba-

PRÆFATIO.

fio fuisse neque esse potuisse. Id verò ita clarè ac perspicuè ostendam ut nemo non sit facturus in eas angustias redactum esse amicum illum nostrum è quibus se non facilè educet, nisi in auxilium suum advocet miseram quandam interpretationem aut distinctionem.

XXXI. Ad primum quod attinet, sic in primis statuendum est, læsæ majestatis accusatos fuisse quosdam Episcopos Gallicanos anno MDCXXXII. & die octava Octobris ejusdem anni ad preces Ludovici XIII. Regis Christianissimi datos fuisse iudices ab Urbano VIII. Archiepiscopum Arelatensem & Episcopos Boloniensem, sancti Flori, & Macloviensem, eisque diplomate regio dato die xvi. mensis Augusti sequentis anni factam potestatem exequendi mandatum illud apostolicum, Episcopos illos reos peractos cathedrisque suis privatos iudicio lato anno MDCXXXV.

PRÆFATIO.

die ultima mensis Maii, aliosque in eorum locis ordinatos. Ita enim inter nos convenit. Hæc si vera sunt, ut certè sunt, evidens est Marcam non scripsisse librum de judiciis canonicis Episcoporum quo tempore Cardinalis Richelius Episcopos illos insequabatur. quod valde notandum est. Cessaverat enim jamdiu illa Richelii cura, altoque in silentio constituta erat Episcoporum reorum causa quum Marca opus illud aggressus est. Scriptus est enim liber ille septimus anno MDCXL. toto sexennio post finitam causam Episcoporum, adeoque non illo tempore quo agebatur de eorum dejectione.

XXXII. Quoniam verò articulus iste, qui est gravissimi momenti in hac mea expostulatione, his argumentis probandus est quibus contradici non possit, afferam auctoritatem ex præfatione mea ad primam

mam

PRÆFATIO.

nam editionem librorum de concordia procuratam anno MDCLXIII. quum ego nondum notus essem Gerbasio, quum nondum ille consilium scribendi librum suum cepisset, quum prævidere non possem controversiam aliquando futuram de tempore quo librum illum Marca composuit. Illic ergo tum scripsi librum septimum de concordia fuisse compositum anno MDCXL. idque etiam repetii in secunda editione, quæ anno MDCLXIX. prodiit. Et quamquam hæc testimonia, licet mea, sint extra controversiam, utpote data tempore non suspecto, addam tamen etiam aliud, reverendi scilicet viri Pauli Fageti, qui tum in domo Marcæ habitabat & amanuensis ejus erat. Is ergo in eo libro quem de vita illustrissimi Archiepiscopi scripsit, quem adire amicus ille noster potest, testatur eum anno MDCXL. ei lucubrationi in-

PRÆFATIO.

cubuisse. *Post tam ingens & luculentum opus editum, inquit, (id est, post editam historiam Benearnensem, quæ anno MDCXL. prodiit.) dissertationibus tribus, alteri scilicet de Legatis Latine, duabus verò de Conciliis provincialibus & nationalibus & de judiciis Episcoporum vulgari idiomate scribendis summi Administræ Cardinalis Richelii jussu reliquum anni tempus impendit. Tum paulò post rursus confirmat hæc anno MDCXL. fuisse peracta. Certum igitur est tractatum de judiciis Episcoporum non fuisse scriptum ad opprimendos Episcopos, adeoque gravis calumniæ reum esse Gerbasium.*

XXXIII. Alterum quod mihi probandum incumbit, illud est, neque me Gerbasio dixisse quæ à me sibi dicta esse ait, neque verò ea me illi dicere potuisse, eo præsertim tempore quo ille ait ita se à me accepisse. Nam primò ego nunquam

P R Æ F A T I O .

scivi hunc tractatum à Marco scriptum esse jussu Cardinalis Richelii. Quod non dissimulassem si quid istiusmodi mihi notum fuisset, qui non tacui tractatum illum datum fuisse manu scriptum Richelio. At si non scivi, certè Gerbasio non dixi, præsertim, ut id repetam, eo tempore quo ille ait ita se à me accepisse. Habeo enim præ manibus epistolium ab eo ad me scriptum & subscriptum die nona Ianuarii anni M D C L X X X. in quo contendit nullam esse causam cur conqueri debeam quòd testimonium meum usurpatum ab illo sit in hac causa, præsertim cùm illud mihi invidiosum esse non debeat &, quantum ad me attinet, nihil odiosum habeat. Tum addit in diversa me sententia ante hoc decennium sibi visum esse, & eo quidem tempore non solùm non improbasse hoc illius consilium de me teste nominando, sed etiam significasse

PRÆFATIO.

mihi non displiciturum si meo testimonio uteretur ad eam fabulam confirmandam.

XXXIV. Igitur illud Gerbasius à me sibi dictum esse contendit anno MDCLXIX. cum ante decennium id evenisse mihi persuadere velit. At ego lectores oro obtestorque uti judicent verumne esse possit quod ait vir clarissimus, cum supra ostenderit & sexennio ante hoc decennium & eo ipso tempore quo ista dicta scribuntur, monuisse me tractatum de judiciis canonicis Episcoporum scriptum à Marca fuisse anno MDCXL. quem tum Gerbasius vult fuisse compositum quum Cardinalis Richelius Episcopus majestatis reos persequeretur. Præterea, quomodo ego Gerbasio dicere potui Marcam ei tractatui incubuisse jussu Cardinalis Richelii, qui nunquam ita vel fando quidem audivi nisi postquam Fagetus id protulit in

PRÆFATIO.

publicum. Certè qui per totos sex annos fui apud Marcam, & qui secretorum ejus ac studiorum pro præcipuo illius in me amore particeps fui, quem sæpe loquentem audivi & de Cardinale Richelio & de tractatu illo, Deum testor opt. max. me nunquam ab illo audiisse impositum sibi à Richelio fuisse onus scribendi hunc tractatum. Multò minùs id dixi viro clarissimo. Et tamen is adversùm me contendit se non esse mentitum, & ægrè fert me illi hanc notam velle inurere. Ego certè optarem ne me ad hanc necessitatem impulisset, & ne facinus illud suum tueri vellet. Finem autem imponet huic nostræ concertationi Lactantius, vir omnium suo tempore eloquentissimus, cujus hæc sunt verba: *Quid dicam de iis nescio qui cùm semel aberraverint, constanter in stultitia perseverant, & vanis vana defendunt.*

Fragmentum tertium, in quo agi-

PRÆFATIO.

tur de interpretatione canonis xvii. Ancyrani, heic quoque posuimus, tum ne vel imperfectas illas meditationes doctissimi viri perire sineremus, tum ut ea ratione paulisper recrearemus lectores, qui in tomo primo Conciliorum editionis Labbei pag. 1474. hæc lecturi sunt: *In eam rem dissertationem paraverat vir illustrissimus ac scientiæ canonice consultissimus investigator Petrus de Marca Archiepiscopus Tolosanus ad Parisiensem cathedram à Rege nominatus & ab apostolica sede probatus.*

Vale, lector, & his magni viri vigiliis utere cum ea reverentia quam à te exigunt summa ejus merita in Ecclesiam & in rem publicam literariam. Memineris nihil pejus esse animo ingrato; in quo vitio nihil mali non inest, ut ait ille noster Tullius.